DE

ICTERO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIV. MENS. MAJI A. MDCCCXXXVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
JULIUS PHILIPPUS ROHR
NORDHUSANUS.

OPPONENTIBUS:
H. WESKAMP, MED. ET CHIR. DD.
I. HELLER, MED. ET CHIR. CAND.
E. LENTZMANN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

IN AMORIS SEMPITERNI

ET PIAE VENERATIONIS TESSERAM

D. D. D.

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

Morbus, quem descripturus sum, neque novus, nam propter symptomata in oculos incurrentia, scilicet colorem flavum, aurantiacum, cet. jam antiquissimis temporibus observabatur, neque rarus, nam ejus causae tam diversae sunt, ut sub diversissimis exoriri possit conditionibus. Nihilominus libertissime, quum literis aliquid mandare deberem, hanc de ictero scribendi occasionem arripui, quum saepius morbum observandi mihi oblata sit opportunitas simulque cadaverum sectiones videndi. Sin quid autem hoc in opusculo minus apte a me dictum sit, aut quod forsan ab aliis, quae libri proferunt, abhorreat, pensitent atque respiciant velim lectores, et rem haud ita facilem et me artis adhuc tironem esse. —

§. 1. De variis morbi nominibus.

Graeci hunc morbum Ἴκτερον nominarunt, atque ex nonnullorum quidem opinione a vocabulo ἴκτερος, quod designat avem[1]) flavi coloris, qua spectata aegrotos sanos reddi, avem autem ipsam mori Plinius[2]) narrat; ex aliorum autem sententia ἀπὸ τῆς ἴκτιδος, quod animal mustelae silvestris est species[3]), cujus oculi eodem fere colore, quam hominum ictero laborantium notantur. Ab Hippocrate morbus ileus icterodes[4]) quod in eo alvi solito major obstructio adesse solet, denominatur. Galenus morbum icteritiam dicit, alii morbum regium, quia secundum Plinii sententiam aulici plerumque hoc malo laborant, aut ex aliorum opinione, quia aurum flavum est et pro metallorum rege habebatur, aut quod ad ejus curationem regali fere opus esse putabatur luxu.[5]) Alii morbum arquatum, appellant, vel arcuatum, quod arcus coelestis, seu iridis, cum variis coloris variationibus, colorem refert; Celsus fellis suffusionem, quia colorem flavum ex bilis sub cutem suffusione deduxit, Fr. Hoffmann, cachexiam ictericam, alii icterum flavum, ne cum chlorosi, quam perperam icterum album vocant, confundatur; Galli utuntur nomine Jaunisse, Angli the Jaundice, nos Gelbsucht.

---

1) Oriolus galbula L.
2) Plinius hist. natural. lib. XXX. Cap. 2.
3) Mustela furo L.
4) cf. Hippocrat. de int. affect.
5) cf. Cels. lib. III. Cap. XXIV.

§. 2. Descriptio icteri.

Raro icterus, excepto acuto, calculoso et spastico, tam subito oritur, ut nulli omnino antecedant morbi; plerumque symptomata vitam organorum gastricorum turbatam, denotantia observantur, quorum praepipua haec fere sunt: Queruntur aegroti lassitudinem, artuum dedolationem, apositiam, nauseam, vomituritiones, imo interdum vomitus intrat, saliva, quae in homine sano insipida est, quandoque amarescit, cibosque sumtos suo inquinat sapore. Flatibus, torminibus, borborygmis saepe vexatur aeger, sitis plerumque aucta est, horripilationes excipit calor fugax; coenaesthesis est alienata, urina interea flavo rubra apparet et linteam immersam croceo inficit colore; faeces pallere, aut albescere incipiunt et plerumque adstringitur alvus, interdum accidit ut diarrhoea biliosa accedat. Saepe oritur pruritus molestissimus similis ei, qui in prurigine senili saepe cum minuta diuresi occurrit, praecipue nocturno tempore augescens. Hisce symptomatibus per longius aut brevius tempus praegressis, primum conjunctiva scleroticae, id quod in Aethiopibus, qui per naturam colore subflavo instructi sunt, summi momenti est, deinde paulatim omnes, praecipue tenera cuti praeditae corporis partes, ut tempora, genae, labia, tum collum, latus extremitatum flexorium, thorax, regio hypochondriaca dextra cet, flavo tingi incipiunt colore. Exquisito morbo iridem coeruleam in subviridem mutatam, forsan propter humorem aqueum flavescentem, sine omni autem Xanthopsiae indicio, et vesiculas scabiosas flavas tinctas vidi. Saepe tunc in regione hypochondriaca dextra sensus pon-

deris et pressionis oritur, interdum doloris saepe spirandi difficultas, cordis palpitatio, singultus. In dies crescunt lassitudo et inertia, pruritus et cutis ariditas augentur. Pulsus varius est, interdum multo frequentior, quam statu normali, interdum parvus, debilis, gastricus, facile comprimendus invenitur. Excrementa tunc plerumque grisea, s. cinerea, albicantia, argillacea reperiuntur. Urina jam crocea, opaca, fusca, nigricans, spumam flavam, saepe subviridem agens, mingitur, quae lintei carpti immissi satis magnam copiam colore flavo tingit, sed ipsa colore privatur, ut Himly adnotat.

Sedimentum saepe format, crassum, e fusco nigricans, aut viride, cujus copia acido muriatico, vel nitrico valde adaugetur.[1]) Saepe in urina cremor, arcus coelestis colorem referens[2]), vas saepe pinguedine lutea inquinans, reperitur. Urina facilius in putredinem abit, quam in aliis morbis. Ictero perdurante, color flavus facile in viridem, vel nigrum permutatur (melas icterus, melanchlorus.) Omnia secreta, ut sudor, saliva imo lacrymae interdum, flava redduntur, vel interni humores, ut sanguis e vena missus, colorem saepe sub flavum ostendit, nec non cartilagines, vel ossa.[3]) Secundum Celsum scarificata cute non sanguis, sed fluidum quoddam flavum effluxit. Raro oritur xanthopsia, ita ut omnia objecta externa aegroto flava appa-

---

1) C. f. de hac re M. I. B. Orfila nouvelles recherches sur l'urine des ictériques Paris 1811. 4.

2) C. f. Peter Frank herausgegeben v. Sobernheim. Berl. 1833. Theil X. S. 204.

3) C. f. Stoll ratio medendi P. III. Sect. V observ. VII; v. Swieten com. §. 850. Peter Frank l. c. S. 201.

reant, quamquam olim hoc semper credebatur.[1]) Petro Frankio, intra quinquaginta quatuor annos, quinquies tantum obvenit, ut aegroti ictero laborantes omnia flava viderent.[2]) Morbus si diutius perseverat, neque ab exordio morbo aliquo inflammatorio conjunctus est, nunc demum febre stipatur, quae vespertino tempore exacerbatur, matutino tempore remittit, facileque in veram hecticam transit.

Saepe etiam accedunt affectiones nervosae, ut hallucinationes, carphologia, tendinum subsultus, interdum stupor, coma, deliria, singultus, convulsiones, coecitas, surditas, mortem imminentem plerumque indicantia. Aliis in casibus sanguinis profluvia passiva, atque omnia sanguinis dissolutionis symptomata, mictus cruentus, morbus maculosus Werlhofii deinde tympanites, hydrops, medelam haud saepe admittens, quod jam Aretaeus judicavit; symptomata, quibus aegrotus plerumque succumbit. — Neque vero semper hic funestus occurrit morbi exitus, nam permulti intra paucorum dierum spatium sani evadunt, id quod ex causis remotis cet pendet. Sanitas autem si redit, omnia symptomata remittunt, excrementa, urina, rel. ad statum normalem redeunt, rarius vero per crisin, plerumque per lysin. Interdum re vera crises per urinam turbidam cum crasso sedimento, aut per diarrhoeam biliosam, aut denique per sudores observantur; attamen necesse est aegrotus hisce evacuationibus relevetur nam symptomaticae etiam esse possunt. Nonnulli

---

1) C. f. Burserius, institut. Pract. ed. Hecker Lips. 1826. Vol. IV. Pag. 390; Fred. Hoffmannus op. vol. III. Cap. 12.

2) C. f. Pet. Frank l. c. 203.

scriptores quoque ptyalismum, exanthemata, furunculos haemorrhagias, praecipue ex ano; cet. pro crisibus habent.

§. 3. Differentiae.

Inde ab antiquissimis temporibus varias morbi nostri statuerunt scriptoras differentias, varia dividendi principia sequentes et modo hoc, modo illud pro vera morbi essentia habentes, id quod facillime fieri potuit, quum nullus fere morbus a tam infinito causarum numero pendeat et tam variis morbis conjunctus esse possit, quam icterus.

Attamen, cum longum sit, omnes hoc loco enarrare scriptorum varias divisiones, et quum fines dissertatiunculae nostrae hoc superaret, nonnullas easque graviores, praecipue a penitiori morbi natura atque indole desumtas, hoc loco afferre sufficiat.

Ex antiquorum scriptorum doctrina modo Hippocratis theoriam apponam, qui jam discrimen statuit inter icterum febrilem, non febrilem et criticum, bene decursum acutum et chronicum indicans. Galenus loquitur de ictero metastatico, cujus autem existentiam Petrus Frank in dubium vocat.

Alii icterum tantum pro symptomate habentes, et nil praeter flavedinem ad icteri essentiam requiri judicantes, alia vero icteri genera ad physconiam hepatis referentes, sufficere putarunt morbi divisionem [1]) in totalem, quorum secundus vel a) dimidium corporis superius [2]) aut inferius vel, b) dimidium laterale occu-

———

1) F. Ettmueller, collect. oper. pract. T. II. p. 844.
2) v. Swieten. T. 3. p. 312.

pet [1]; c) in icterum partis singularis [2]. Hic icterus partialis auctore Himly nil est, nisi erysipelas, cujus rubedo paululum ad flavedinem vergit. Secundum colorem distinguunt inter icterum flavum, viridem, nigrum et album; quorum ultimus huc omnino non pertinet; sed idem est morbus, ac chlorosis; icterum nigrum nonnulli ad melaenam referunt; forsan tamen interdum ad icterum verum pertinet et tantum colorem magis saturatum icteri flavi indicat, interdum vero cum melaena conjunctus est. Icteri nigri Bell iterum tres distinguuit species sc. a) ict. spleneticum b) scorbuticum c) typhodem. Interdum variae corporis partes vario modo tinctae inveniuntur [3]. Alia divisio est in icterum simplicem et complicatum; cum secundo varii coexistunt morbi, ut hepatitis, splenitis gastritis, desorganisationes varia hydrops cet.

Ratione originis distinguunt inter icterum idiopathicum, deuteropathicum et sympathicum; quae notiones nulla indigent explicatione. Icteri critici existentiam Petrus Frankius in dubitationem vocat [4]. Secundum vitae periodos distinguitur inter icterum gravidarum et recens natorum. Sed de hisce plura adnotabimus in aetiologia morbi. Porro dividunt icterum in brevem fugacemque, qui etiam benignus esse solet, et in diuturnum ac contumacem, qui facile in malignum transit. Characterem dynamicum respicientes, icterum distinguimus sthenicum, seu inflammatorium, qui simul stipatur febre inflammatoria robustos, pletho-

---

1) F. Morgagni. ep. XXXVII.
2) de Haen. de ictero adn. T. 2. pr. path. pag. 114.
3) Cf. Burserius l. c. pag. 391. adn.
4) Cf. Pet. Frank. l. c. pag. 196.

ricos sanosque homines invadit et pendet ex causis, quae inflammationes procreare possunt, et asthenicum, qui vel esse potest erethisticus, torpidus, nervosus, putridus, facile chronicum adsciscit decursum saepeque cum variis viscerum, praecipue hepatis, degenerationibus junctus est. Porro differentiam sistunt inter icterum febrilem et non febrilem, et febris quidem morbus primarius aut secundarius esse potest. Sic saepe ad febres intermittentes icterus accedere solet. Febris autem est vel inflammatoria ut jam diximus, aut nervosa, biliosa, intermittens cet; morbo vero diutius protracto, aut male curato, facile febris lenta, vel hectica oritur.

Typum intuentes differentiam constituunt inter icterum continentem, intermittentem et periodicum, quorum hic plerumque e calculis biliariis pendet; minime tamen hoc perpetuum est, nam Saunders periodicum descripsit, qui cum fluxu haemorrhoidali commercium habuit, in quo simul ulcera pedum haemorrhoidibus intrantibus suppurabant dein rursus exsiccabantur [1]. Icterus traumaticus ille est qui vulnera aut laesiones, morsum nonnullorum animalium, ut viperarum, felium rabiosarum, cet. sequi traditur.

Alii dividunt icternm in epidemicum, endemicum et sporadicum. Epidemia icterica, teste Sydenhamo sub finem saeculi decimi septimi praecipue tenerae constitutionis homines praecedente colica biliosa, afficiens, in Anglia obvenit. Saepe etiam epidemicus icterus

---

1) Cf. Saunders, Traité de la structure, des fonctions et des maladies du foie a Paris 1804. pag. 147.

recens natorum observatus est[1]). Endemicus occurrit in regionibus calidis, ubi noctes frigidae sunt, aut aër siccus et calidus frigido atque humido repente excipitur. Sporadicus apud nos occurrit, si injuriae in aliquem vim suam exserunt, quae icterum procreare possunt, aut si constitutio sic dicta atrabilaris locum habet, Pandemicus observatus est Gandae 1742, in agro moguntiaco 1754 — 1755 et Essendiae 1772[2]). Haase[3]) distinguit inter icterum spasticum, hepaticum et calculosum; in ictero spastico ductus biliferi spasmo constricti putantur, qua fit, ut bilis in duodenum effundi nequeat, in ictero hepatico, vitia organica hepatis vicinorumque organorum exstant, et in calculoso calculi biliarii fellis excretionem prohibent. — Icterus hereditarius praecipue ex atrabilari parentum constitutione ad prolem translata oritur. —

§. 4. Cadaverum sectiones.

Plura in cadaveribus ictero defunctorum memoratu digna inveniuntur, dummodo accuratius sectio instituatur, quae verae morbi naturae aliquid lucis affundunt. Plerumque omnia fluida, exceptis corpore vitreo et lente, perinde ac tela cellulosa, cartilagines, ossa[4]), quae autem Himly auctore si soli exponuntur, iterum

1) Cf. G. H. Brünning de ictero spasmodico infant. a. 1772. epid. Wesal. 1778. cf. Peter Frank. l. c. p. 213. Hufeland's Journal. 7r Bd. 3 St. pag. 94.
2) Cf. Peter Frank, l. c. p. 197.
3) Haase. Chron. Krankheiten Bd. III. Abthl. 1, S. 195.
4) cf. v. Swieten. §. 850.

albescunt, flavo tincta reperiuntur colore. Mirum est, iis in casibus, ubi symptomata graviora, nervosa, delirium etc. adfuerunt, tamen in cadaveribus nihil inveniri, praeter cerebrum paululo flavum et tunicam arachnoideam, leviter turbidam atque inter ejus laminas exiguam exsudati serosi copiam; quamquam multo majoris momenti res exspectantur. Interdum in corporis cavitatibus humor exsudatus flavus reperitur[1]). Saepissime in cystide fellea, aut ductu cystico, hepatico, vel choledocho, calculi biliarii, quorum Faschius[2]) duo millia, imo tria millia, sexcentos et quadraginta sex deprehendit, raro solitarii plerumque plures inveniuntur. Plures si adsunt semper angulati sunt, non rotundi, id quod maximi momenti est ad diagnosin constituendam, utrum, si jam nonnulli vel vomitu vel excrementis ejecti sunt, plures adhuc restent, nec ne[3]). Bilis saepe conditionem normalem prae se fert, interdum autem nimis crassa, intense viridis, pulticularis, aut nimis fluida invenitur. In ductu cystico semel vidi excrescentias plures, liberum bilis effluxum ex toto prohibentes, ita ut vel pressione adhibita nil effueret. Saepe morbi hepatis exstant, ut fungus medullaris, cujus nuperrime in scholis clinicis Ill. Wolff exemplum praestantissimum obvenit in femina ictero viridi defuncta. Saepius pars inferior hepatis inflammata est. Haud raro existunt organorum vicinorum, ut ventriculi, duodeni, lienis, desorganisationes, tumores aliique morbi. In schola clinica Halensi, fungum

---

1) cf. Morjagni, de sedib. et caus. morb. ep. 37. n. 7.
2) cf. Burserius. l. c. p. 389.
3) cf. Soemmering, de concrementis biliariis corporis humani. 1795. cet.

medullarem in colo transverso cum intumescentia scirrhosa pancreatis mihi occurrit. Semel, ut commemorat Richter[1]), cystis fellea omnino defuit. Interdum autem hepar prorsus sanum invenitur aut justo minus, in aliis causibus hepar et vicina organa destructa atque degenerata sunt sine ictero; pulmones quoque affecti pressione diaphragmatis et hepatis icterum procreare possunt, ita ut hepar omnino sanum reperiatur, quod jam Portal pluribus exemplis probat[2]).

§. 5. Aetiologia.

Variae sunt causae, e quibus icterus originem ducit. Priusquam vero singulas perscutemur, quaestionem illam, num et quomodo bilis in sanguinem perveniat et quomodo color flavus oriatur, dirimere oportet. Num autem, si fit bilis resorptio et refusio in sanguinem, magis efficiatur per venas, an per vasa lymphatica, quum disquisitio sit physiologica, accuratius scrutari omittam. Loquamur igitur primum de causa icteri proxima. Antiquorum auctorum de hac re sententias, quae jam nomine, quod morbo nostro dederunt, ut fellis suffusio (Celsus), falsam illorum de icteri aetiologia theoriam fuisse probant, hoc loco repetere supervacaneum puto, quum et fines dissertationis nostrae excedat et ab aliis satis bene jam tractatum sit. Sed quum novissimis quoque temporibus controversiae

1) cf. Richter, medizin. Beobacht. I. S. 34.

2) cf. memoires de l'Academie Royale des sciences, annèe 1777. 4. Paris. Mediz. Comment. v. einer Gesellschaft der Aerzte zu Edinburgh. Bd. X. Theil II. S. 72.

inter celeberrimos medicos de hac re agitentur, nonnullas opiones afferre, non alienum putavi. Nonnulli contenderunt, bilem in ductu hepatico collectam icterum propter exiguam amaritiem (in ictericis enim omnia secreta, lac, salivam etc. amarescere) proferre non posse; quum porro calculi in hepatis biliferis ductibus sine ictero saepe observati sint, concludunt, icterum nonnisi ex bile vesiculae felleae, quae tunc in sanguinem refundatur, ortum trahere posse.[1]) Hanc autem opinionem falsam esse, jam ex eo elucet, quod experimentis circa canes institutis, si ductus cysticus solus ligatura circumdaretur, icterus non oriebatur, id quod brevi tempore accidit, si simul ad ductum hepaticum ligatura applicaretnr. Porro haec sententia eam ab causam rejicienda est, quod copia partium, bilem constituentium, quae in ictero per urinam, interdum quoque per vomitum atque per alvum evacuantur, nimia est,[2]) quam quae sola ex bile vesiculae felleae proficisci queat. Porro, in hydrope vesiculae felleae, etsi omnis excretio prohibita sit, tamen saepe icterus desideratur. Quod autem maximi momenti est, in casu quodam a Richtero allato icterus pertinax deficiente vesicula fellea, ut jam supra commemoratum est, observabatur.

Alia eaque haud melior explicatio genesis icteri, est illa, qua putarunt, bilis secretionem in hepate turbari, aut prorsus impediri, contra secretionem bilis vicariam in vasis cutis sese ostendere et hac re icterum

---

1) Cf. Mercard's medizinische Versuche. Th. 1. pag. 104.
2) Cf. de hac re Orfila, nouvelles recherches des ictériques Paris 1811. Gmelin Handbuch der Chemie Bd. II. IIte Abth. S. 2417.

provocari. Fingunt igitur, cutem in ictericis esse organon bilem secernens. Sic Fourcroy, Sprengel, Henke, Reil, alii. — Sed hanc sententiam nullo modo probandam puto. Videmus enim in toto organismo unicuique parti suam esse vitam propriam atque actionem, ceterum physiologia[1]) et pathologia docet, ad unumquodque fluidum secernendum, peculiarem quandam vim atque organon propriae structurae, ergo ad bilem hepar, ad transpirationem cutem, requiri. Ut autem vera morbi nostri indoles recte cognosceretur, plura et a medicis et a physiologis instituta sunt experimenta. Saunders[2]) ligaturam circa canis ductum choledochum applicavit et duabus horis elapsis animal nescavit, quo facto omnia vasa lymphatica, imo ductus thoracici contenta, flavo invenit tincta colore unde concludit, re vera bilem absorberi. Alii putant, bilem quidem re vera in duodenum excerni, sed aucta vasorum lymphaticorum actione resorberi, in sanguinem deferri et sub cute deponi.[3]) Attamen hoc si verum esset, quomodo explicandum existimas illud, quod in polycholia, ubi magna bilis copia effunditur et vel vomitu vel diarrhoea evacuatur, tamen icterus non exoriatur. Alii putaverunt, ductus biliferos, calculis aut spasmis esse clausos, eamque ob causam bilem in duodenum effluere non posse, in sanguine igitur remanere et icterum excitare. Haec sententia quamquam interdum vera esse potest, tamen, quod cadaverum sectiones docent, saepe pervios videmus ductus bilife-

---

1) Cf. Müller Handbuch der Physiologie p. 455. sqq,
2) Cf. Saunders l. c. pag. 62.
3) Portal cf Memoires de' l'Academie Royale des sciences annèe 1777. 4. Paris.

ros in ictericis[1]), contra iidem saepe clausi inveniuntur sine ullo icteri symptomate.

Alii icterum pro cachexia habentes, crasin sanguinis vitiosam esse putabant, inde exortam, quod illa elementa, ex quibus hepatis functione bilis praeparetur, ita superent, ut normalis vel aucta hepatis actio ea eliminare non possit; aut abundantiam elementorum bilem constituentium ab eo pendere, quod hepatis turbata sit actio. Vitium alterum si locum habet, fellis in duodenum secretio tantum abest, ut minuta sit, ut vel vomitus biliosus et diarrhoea biliosa exoriantur, alterum si exstat, nulla aut pauca in duodenum excernitur bilis, unde faeces argilaceae, albae et cetera icteri symptomata. Priori ratione icterum epidemicum et illum oriri censent, qui ad typhum putridum, phthisin pulmonum, ob impeditam respirationem, interdum accedat, altera ratione oriri icterum, si vel vitia hepatis cet. organica adsint, aut sanguinis ad hepar affluxus aliquo modo impeditus! —

Jam vero si omnes, quae de hac re institutae sunt, observationes et physiologicas et chemicas, a Fourcroy, Deyeux, Saunders, Clarion, Gmelin, aliis, inter se comparamus, partes bilem constituentes, praecipue pigmentum, minime vero bilem ipsam in sanguine ictero affectorum et in aliis fluidis re vera inveniri apertum est; quam ob causam icterum seu ejus causam proximam pro eo statu morboso habemus, quo ob bilis secretionem vel excretionem turbatam, in intestinis ut plurimum bilis deficit, unde icteri symptomata pathognomonica prodeunt, id sanguine autem partes bilem constituentes ita superant, ut plerique corporis humo-

1) Cf. Stoll. ratio med. Vol. III. p. 361. sqq.

res aeque ac solidae partes, iis inquinentur et flavo tingantur colore.

§. 6. Causae praedisponentes.

Quamquam icterus omni aetate existere potest, nulli sexui parcens, tamen nonnullas ejus species certae quasi adstrictas videmus aetati atque corporis conditioni. Icterus, qui hepaticus dicitur, magis mediae aetate supervenit, icterum vero calculosum in senibus maxime observamus. In graviditate icterus aut eam ab causam oritur, quod uterus in parietem hepatis inferiorem pressionem exserit, aut quod liberae diaphragmatis actioni obstat et hanc ob rem respiratio imperfecta non satis ad decarbonisationem sanguinis sufficit. Plurimum autem valet regio, in qua homines degunt, quare icterum in regionibus calidis, paludosis cet. saepe videmus endemicum, et si aëris conditio talis est, qualis ad icterum gignendum requiritur, vel epidemicum, ut jam commemoravimus. Homines temperamenti cholerici aut qui incitamentis facile afficiuntur, dispositionem ad morbum nostrum prae se ferunt. Scimus enim omnibus affectionibus non solum augeri bilis secretionem, vel minui, sed etiam pessumdari. Hinc icterus tam saepe occurit in hominibus melancholicis, hystericis, haemorrhoidariis, atque in iis, qui alvi obstructionibus, plethora venosa abdominali cet. laborant. Propensionem porro ad hunc morbum ii ostendunt, qui affecti sunt morbis chronicis lienis, pancreatis, aut qui jam prius ictero, aut hepatis morbis laborarunt.

§. 7. Causae occasionales.

Variae sunt causae, quae icterum procreare possunt. Injuriis externis, prae ceteris tempestatis constitutio atque aëris indoles accensenda sunt, quam ob rem ut supra attulimus, in regionibus calidis endemicus, et ex eadem causa apud nos praecipue aestate, si dies calidi frigidis noctibus excipiuntur, ubi cutis transpiratione turbata facile refrigerationes inducuntur existit. Nam, uti physiologia docet, cutis simul cum hepate sanguinem alienis materiis liberat; si igitur haec cutis functio turbata est, per antagonismum hepatis functio augetur, quae autem saepe, praecipue, si hepar aliquo morbo laborat, ad illas eliminandas non sufficit. Hinc sanguis nimis venosus redditur et, ut supra demonstravimus, icterus oriri potest. Magni momenti ad icterum procreandum sunt alimenta, quorum ea, quae spissitudinem, quam vocant, atrabilarem sanguinis provocant, uti abusus spirituosorum, nutrimenta dyspepta farinacea, cibus ingestus nimis frigidus, ut glacies artificialis, potus frigidus, praecipue si corpus aestuat rel. principem locum tenent. Ex medicamentis, quae interdum icterum excitarunt, praecipue afferenda sunt, omnia calefacientia, adstringentia praecipue si hominibus cholericis praebentur, hydrargyrum muriatic. corrosiv., plura agarici genera, datura stramonium, staphis agria, acidum phosphoric. secundum Himly etc. Porro huc referunt morbum nonnullorum animalium rabidorum, ut scorpionum, anguinum venenatorum.[1]) Sed haud scio numne psychica affectio, ut terror (hinc icterus plerumque spastcius est)

1) Quod jam Galenus, de l. affect. LV. c. 8 commemorat.

in hisce casibus plurimum valeat, nam si canis rabidus canem mordet, non icterum sed hydrophobiam oriri videmus. — Porro huc pertinent contusiones abdominis praecipue regionis hypochondriacae dextrae rel. Vita sedentaria, vestimenta nimis stricta, quibus intestina comprimuntur et facile sanguinis in abdomine circulatio perturbatur! —

Ex injuriis, quae producta sunt organismi, praeceteris enumerandi sunt calculi biliarii, sunt qui aut in ductu hepatico, aut cystico, aut denique in choledocho haerent. Pathogenesis horum calculorum haud tam facilis est explicatu, quam nonnulli putavere medici, id quod ex diversa de hac re opinione jam colligi potest. Haud supervacaneum puto, hoc loc nonnulla de hac re verba facere, quum in curatione icteri multum exinde pendeat. Nonnulli culparunt alimenta tenacia, dura, vinum non bene fermentatum cet. quibus bilis nimis magna ad praecipitationem vergentium elementorum copia quasi obruatur; alii debilitatem organorum digestioni inservientium, qua acidum formetur, quod bilem ad coagulationem adigat, accusant. Quamquam autem istae injuriae in multos homines vim suam exserunt tamen in paucissimis calculi biliarii inveniuntur, unde facile colligitur, hancce theoriam rejiciendam esse. Huc accedit, quod teste Thenard [1]) elementa, chemica instituta analysi, in calculis biliariis inveniuntur, quae omnino in bile non existunt. Hinc probabile est calculos biliaros ex pathologica quadam hepatis actione oriri! —

---

1) Cf. Thenard, memoires de la sociéte cet Pag. 66. et Soemmering de concrementis biliariis cet. Traject. ad Moen 1795.

Icterus calculosus hoc modo sese prodit. Oritur initio sensus gravitatis et ponderis in hypochondriis, junctus cum molesta tensione circa scrobiculum cordis, porro cum dolore nunc acuto, nunc obstuso, mox evanescente, sed intra horae spatium pluries recurrente. Paulo post in oculis signa quaedam icterica conspiciuntur, et urina et faeces saepe a statu normali ad ictericum sese convertunt. Saepe tamen desiderantur haec symptomata et tam cito evanescentia aegroto spem recuperandae sanitatis praebent. Saepe diuresis anomaliae, ut stranguria, dysuria, adsunt, praecipue si calculi organa uropoetica simul tenent, id quod ex Morgagni sententia saepissime evenit [1]), quamquam equidem tale exemplum nunquam vidi. Postea, praecipue si calculi fellei inaequales, vel acuminati sunt, subito, in hypochondrio dextro oritur dolor vehementissimus, quandoque ad dorsum lumbosve, quandove ad processum xiphoideum procedens, qui teste Burserio [2]) adeo ferociter torquet aegrotantes, ut neque membra extendere, neque alia ratione decumbere, nisi in anteriora et ventrem curvato corpore, possint, febris quandoque accedit acuta, cum pulsu duro, citato; per sympathiam accedunt nausea, vomitus, cephalalgia. Simulac autem calculus ad duodenum pervenit, omnes fugantur molestiae. Omnia icteri symptomata satis tunc exculta sunt. Alvus modo laxa, modo obstructa [3]), calculi modo per vomitum modo per alvum ejiciuntur. Paroxysmi saepe repetuntur. Excitatur etiam

---

1) Cf. Morgagni cp. XXXVII. art. 43.

2) Burserius l. c. 394 et Pemberton, Krankheiten des Unterleibes, übers. von Brester, Bonn 1836 S. 34.

3) Heberden Comment. p. 210.

ille icterus, quem colicam ictericam nominant, si forte lumbrici in vesiculam felleam ex duodeno repserunt; cujusmodi plura a scriptoribus enarrata sunt exempla.[1]) Similis effectus ex plethora venosa abdominali et omnibus, qui cum illa cohaerent, morbis, uti congestionibus sanguinis ad hepar, ex haemorrhagiis consuetis, ut haemorrhoidibus, catameniis cet. suppressis, nascitur. Porro huc pertinent vitia organica hepatis, uti fungus medullaris, tubercula, scirrhus, aut organorum cum eo cohaerentium, ut pancreatis; porro pulmonis dextri, ventriculi et prae ceteris lienis; inde saepe proficiscitur ex febribus intermittentibus quartanis, quae infarctus, seu physconias efficiunt. Saepius etiam observatus est post paracentesin abdominis, quia pressio solita aquae subito tollitur, unde fit congestio sanguinis ad hepar, quo facile vel obstructiones, vel vera hepatitis inducuntur: Icterus neonatorum plerumque a meconio retento pendet, interdum autem cum hepatis obstructionibus, verminibus aliisque vitiis nexum alit.[2]) Maximi porro ad pathagenesin icteri momenti sunt affectiones psychicae, praecipue terror, tristitia, ira, quae injuriae praesertim in hominibus temperamenti cholerici, aut in hystericis feminis, maxime tempore aestivo, et si constitutio epidemica vel annua ad characterem biliosum vergit, facile hepatis affectiones et icterum provocant. Sed haec de icteri aetiologia hactenus!

---

1) Cf. Lieutaudius, Hist. anat. med. T. 1. pag. 211.

2) Cf. Henke, Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten, Frankfurt 1809. pag. 113. al.

§. 8. Diagnosis.

Icteri symptomata tam clara et in oculos incurrentia sunt, ut haud facile cum alio confundi possit morbo. Attamen cavendum est, ne homines jam per naturam colore quodam subflavo praeditos pro ictericis habeamus. Necesse igitur est, semper omnia inter se comparemus symptomata, ut urinam croceam lintea tingentem, facies cet.[1]) Eodem modo res se habet in chlorosi, ubi interdum color subflavus invenitur, attamen neque conjunctiva flava reperitur, neque alia symptomata icterica adsunt. Singularum autem icteri specierum diagnosis saepe haud ita facilis est, nisi semper aetatem, temperamentum, constitutionem aegroti, conditiones, sub quibus morbus ortus est, rel. accurate inter se comparamus. Quod si hoc loco facere vellem, res supra commemoratas tantum repeterem, quam ob causam omittendam puto comparationem.

§. 9. Prognosis.

Exitus icteri varius praedicendus est, ratione habita causae remotae, symptomatum, aetatis, complicationum. Spem sanitatis promittunt morbus recens, symptomata mitiora, aetas juvenilis, et si conditiones, quibus ortus est, eae sunt, ut facile removeri queant. Icterus flavus melior est quam viridis, pessimus est icterus niger, quia plerumque cum morbis lienis, aliisque insanabilibus nexum alit. Color autem flavus si repente in album mutatur, ceteris symptomatibus non

1) Cf. Portal memoires de l'academie sqq. 1777.

minutis, si urina subito clara et aquosa mingitur, teste Hippocrate, magnum indicat periculum, nam hydrops imminet. Bonum est, si bilis aliqua vel vomitu ejicitur, vel faeces adhuc suo tingit pigmento, si appetitus ciborum nondum prorsus prostratus est, et si digestio et chylopoesis bene adhuc absolvuntur; malum vero, si appetitus ciborum semper adaugetur et nihilominus vires aegroti magis magisque consumuntur, nam plerumque febris hectica pertimescenda est. Crisin interdum indicant sudores, urina cum crasso admodum saturato sedimento, diarrhoea levis, haemorrhoidum aut catameniorum fluxus restitutus. Si nullum organum inflammatum est, icterus secundum Aretaeum haud periculosus est, sed diutinus. Multum fert ad augurandam prognosin complicatio icteri cum febre; interdum haecce, praecipue in regionibus calidioribus crisin, saepe autem exitum lethalem indicat. Bonam si apparente ictero dicere velis prognosin, necesse est molestiae prioris aegritudinis minuantur, signa coctionis antecedant, dies sit criticus, nec sit aut fiat durum hypochondrium, ut Hippocrates adnotat[1]). De febre biliosa dicit Hippocrates; si icterus ante diem septimum cum frigore accedit, febris solvitur, si autem sine frigore et extra paroxysmos accedit, perniciosa est. Attamen haecce Hippocratis praesagia nullo modo tam firma sunt, ut non saepe prorsus contrarium eveniat. Plurimum valet natura febris atque ejus character dynamicus. Hinc si ad febrem putridam icterus accedit, prognosis pessima, si autem febris levis, ceteraque symptomata bona sunt, fausta auguranda est. Qui icterus ad febres intermittentes accedit, plerumque hisce

---

1) cf. Aphrorism. 64. IV.

apte curatis evanescit, sed cum quartanis conjunctus, pariter saepe ac febris ipsa pertinacissimus est, quia haud raro cum vittis organicis lienis, hepatis rel. nexum alit. Icterus plethoricus, nisi simul alii morbi periculosi adsunt, plerumque facile tollitur. Icterus neonatorum, nisi cum exanthematibus cet. conjunctus est, et infantcs ceterum bene valent, haud periculum affert, nam saepius intra quatuor vel septem dierum spatium tolli potest. Icterus gravidarum plerumque non periculosus, sua sponte post partum solvitur. Urina nigrescens vehementiam morbi, et si simul excrementa atra evacuantur, si febris accedit hectica, tympanites, marasmus, ascites, plerumque mortem imminere indicat. Pessimi ominis est, si icterici subito stupidi sint, si coma, singultus, deliria carphologia tendinum subsultus ceteraque symptomata nervosa accedunt. Valsalva[1]) die quarta jam vidit lethiferum et in schola clinica Halensi jam intra horas triginta sex mortem adduxit. Singultus solus, ceteris bonis symptomatibus, haud periculosus est, neque diu perdurare solet. Icterus ortus ex vehementibus animi affectibus, ut ira, saepe multum periculi infert. Symptomata multa et magna, vitia organica, accedens dyspnoea, cordis palpitatio, pulsus inaequalis, spem sanationis, valde turbant. Icterus spasticus, qui ex levibus plerumque oritur causis, qui homines erethicos, haemorrhoidarios, hypochondriacos, aut feminas hystericas invadit, saepe quidem fit recidivus, minime vero periculosus, nisi cum aliis cohaereat morbis. Icterus calculosus plerumque pertinax est, facile fit recidivus, atque totam constitutionem ita afficit, ut febris hectica metuenda sit. Prae-

1) Morgagni ep. 37. n. 2.

terea interdum vesicula fellea rumpitur, oritur tympanites, aut peritonitis gangraenosa, certam inferens mortem; non raro tamen fit, ut, morbo tempestive cognito et rite adhibitis remediis, curatio contingat radicalis: Burserius apoplexiam in ictero calculoso ortam vidit[1]. Icterus venenatus nisi citissime recte curetur, saepe lethalis evadit. Icterus epidemicus plerumque non periculosus, endemicus vero plerumque pertinacissimus est, quia conditiones, quibus oritur, scilicet clima et atmosphaera paludosa, calida, morbum semper denuo excitant. Haemorrhagiae, si ictero adjunguntur, secundum Huxham, apta curatione instituta periculosae non sunt. Icterus laesiones secutus eandem praebet prognosin, quam morbus primarius.

§. 10. Therapia.

Nulla generalis in curando ictero medendi ratio constitui potest, quum ejus causae remotae et complicationes maxime variae sint. Brevitati studens eam tantum rationem indicabo quam in curando persequi debemus. Indicationes, quibus satisfaciendum est, tres, existunt, quarum prima causalis, altera nosematica, tertia symptomatica est.

I. Indicalio causlis. Causae icteri remotae indagandae et si fieri potest, tollendae sunt. Proinde saburrae primarum viarum, prout vel sursum turgescunt vel deorsum, emeticis aut laxantibus removeantur. Attamen semper pensitandum est, subinflammatorium statum intestinorum saepius adesse; hinc primum, si ejus symptomata adsunt, hirudines ad locum affectum

1) cf. l. c. p. 398.

applicandae, interdum venaesectio instituenda est, tunc leniter alvus aperiatur salibus neutris, pulpa tamarindorum rel. In ictero vero chronico, torpido, ubi nulla omnino adsunt subinflammationis signa, laudantur drastica ut aloe, rad. rhei cet. saepius emetica maximo cum fructu adhibentur, quum non solum res noxias removeant, verum etiam vim antispasticam exerceant. Vermes unctionibus antispasmodicis abdominis, clysmatibus e lacte, oleosis, ipecacuanhae reractis dosibus, tunc antelminthicis, et sedantur et removentur. In ictero gravidarum eccoprotica refrigerantia, ut cremor-tart. cum antispasticis utilia sunt.

Icterus conjunctus cum morbis pulmonum chronicis, Calomelane c. sulph. aurat. antimon. et Opio, curatur. Si icterus refrigerio ortus est, optime diaphoretica, ut spirit. Minder. vin. stibiat. pulv. Dow, cet. adhibentur. In ictero ex venenis orto, apta adhibeantur antidota, sin vulnera adsunt secundum chirurgiae praecepta, utpote venenata curentur. In ictero cum febribus intermittentibus conjuncto saepe spasmus quidam adest, hinc conjungantur primum resolventia cum antispasticis, tunc demum caute adhibeantur febrifuga. In plethoricis, aut si inflammatio morbum nostrum vel procreavit, vel comitatur, si haemorrhagiae consuetae suppressae sunt, curatio plerumque sanguinis missione inchoanda est. Icterus cholericus, ubi re vera bilis superat (Mende), ubi vomitus biliosus, diarrhoea biliosa cet. adsunt, nisi simul conjunctus sit aliqua inflammatione, aut emeticis aut laxantibus tollitur. Icterus, quem alii procrearunt morbi, non aliam curationem, quam quae in morbos primarios convenit, postulat, quam ob causam, ne fines hujus

dissertatiunculae excedam, de hoc tacere liceat; sed de ictero calculoso, haud ineptum puto aliqua proferre! —

Saepe in ietero calculoso omnia symptomata tam vehementia sunt, ut febris superveniat inflammatoria, id quod semper timendum est, si pulsus intra horae minutum plus quam centum habet ictus [1]). Tunc curatio eadem, quam in hepatitide; plerumque autem calculi biliarii tantum spasmum procreant, tunc, cataplasmata, inunctiones, balnea, clysmata cet. quae spasmum leniunt, adhibenda sunt. Ad usum internum opium maxime laudatur, secundum Pemberton singulis horis gr. j. donec spasmus sedatur. Quo facto per nonnullos dies alvus leniter est aperienda oleo ricini, Calomelane. Tunc adhibentur remedia illa, quibus vim calculos solvendi tribuunt, ut ol. terebinth. aether sulph. rel. Attamen, quamquam haecce remedia calculos extra corpus interdum solvere valent, tamen interne saepius sine successu ea videmus adhibita: Emetica, quae a Saunders [2]) laudantur, haud commendanda sunt, ut jam Pemberton adnotat.

II. Indicatio nosematica. Nulla si causa occasionalis icteri invenitur, aut ubi jam diutius contra eam sine fructu curatio adhibita est, status morbi triplex esse potest. Nam primum stagnationes in abdomine, praecipue in hepate, pendere possunt ab incitatione quadam systematis vasorum, deinde a magna debilitate et torpore, denique a spasmo! —

1) Conditio exaltata systematis vasorum statuenda est, si icterus ex suppressis consuetis haemorrhagiis

---

1) Cf. Pemberton, l. c. S. 36.
1) Cf. Saunders, l. c. S. 154.

in corporibus robustis, plethoricis ortus est, si pulsus plenus, aegrotus ad congestiones propensus, imo febris symptomata adsunt. In ejusmodi casibus saepe vel phlebotamia instituenda atque hirudines ad abdomen applicandae sunt. Pro usu interno postea adhibendi sunt sales resolventes, ut tartarus tartarisat., magnesia sulphur. natr. sulph. cum extractis resolventibus, ut extr. graminis, taraxac cet. ita ut per diem tres, quatuor sedes edantur. Hisce diutius adhibitis remediis plerumque icterus cedere solet.

2) Si stagnationes in abdomine et hepate pendent a magna debilitate, aut torpore, curatio alia instituenda erit. Si aegrotus temperamento phlegmatico, facie cachectica insignitur, si alvus obstructa est, initio resolventia remedia et ea, quibus vis quasi specifica in hepar tribuitur, in usum vocanda sunt, ut aloe, rheum cet. Saepius etiam emetica magna cum utilitate adhibentur. Tunc propria incitantia, ut rad. angelicae, aether sulph. fel tauri, gentiana, quassia, flor. sal. ammoniac. martial; thermae Carolinae rel.

3) Si aegrotus constitutione debili irritabili praeditus est, si queritur nausea, vomituritione, generatim antispastica in usum vocanda sunt. Plerumque autem et haec conditio cum plethora venosa abdominali cohaeret, alvusque obstipata esse solet. Hinc primum remedia leniter resolventia cum extractis resolventibus, postea demum antispastica adhibenda sunt. Commendantur praeceteris rad. ipecacuanhae refractae doses, pulv. aut extr. cicut. belladonna, asae foetid. c. ol. terebinth. crocus, opium. Praeterea adhibenda sunt epispastica ad abdomen, clysmata antispastica, cet.

III. Indicatio symptomatica. Molestiae,

quas aegroto icterus parat, quantum fieri potest, mitigandae, sequelae morbi perniciosae removendae et crises adjuvandae sunt. Pruritus in ictero molestissimus teste Lentin optime balneis mitigatur: Ne autem elementis istis, quae bilem constituunt, et quae in sanguine versantur, febris adducatur hectica, omnes secretiones leniter incitandae sunt, ut illa e corpore eliminentur. Hinc levia diuretica, ut aqua Selterana, sales neutri, serum lactis, rel. pro individua aegroti natura, optimum praebent fructum. Regimen et diaeta ad convalescetiam accommodentur.

VITA.

Ego, *Julius Philippus Rohr*, confessioni evangelicae addictus, anno hujus saeculi XIV Nordhusae, Thuringiae oppido, patre *Christophoro Philippo*, mercatore, matre *Dorothea*, e gente *Betzold*, natus sum; parentibus dilectissimis adhuc viventibus gaudeo. Gymnasium, quod floret Nordhusae, primum directore Clarissimo *Kraft*, nunc vero Cl. *Schirlitz*, plures frequentavi per annos: Paschali tempore, anni MDCCCXXXIII, maturitatis munitus testimonio ad Universitatem litterarum Halensem me contuli, ut doctrinae atque arti medicae navarem operam. Ab Ill. *Pernice*, t. t. Prorectore Magnifico, inter cives academicos receptus, ab Ill. *Gruber* in Album philosophorum et a Beat. *Dzondi*, decano, in Album facultatis medicae inscriptus, hisce interfui acroasibus:

Logicen, physiologiam psychicam, psychologiam et philosophiam fundamentalem Ill. *Hinrichs*, Zoologiam universam, helminthologiam, repetitorium de zoologia habitum et demonstrationes zootomicas Ill. *Nitzsch*, mineralogiam Ill. *Germar*, physicen et chemiam Ill. *Schweigger*, toxicologiam et artem formulas rite conscribendi Ill. *Schweigger-Seidel*; botanicen Ill. *de Schlechtendahl*, physiologiam humanam, encyclopaediam et methodologiam medicam et materiam medicam Ill. *Friedländer*, anatomiam corporis humani Cel. Dr. *Moser* doctrinam de generatione, physiolo-

giam humanam, anatomiam organorum sensuum nec non artem cadavera rite secandi. Ill. *D'Alton*, pathologiam et therapiam tam generalem, quam specialem, Ill. *Krukenberg*, doctrinam de morbis syphiliticis Cel. *Baumgarten Crusius*, nunc jam beat., chirurgiam, akiurgiam, doctrinam de luxationibus atque fracturis ossium, nec non artem fascias rite applicandi et de operationibus ophthalmiatricis Ill. *Blasius*, artem obstetriciam Ill. *Niemeyer*, me docuerunt.

Praeterea exercitationibus clinicis medicis, Ill. *Krukkenberg* per annum, clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. *Blasius* per semestre practicando interfui.

Mense Octobri a. MDCCCXXXVI, Halis relictis, ad almam Berolinensem Musarum sedem me contuli, ubi Prorectore Magnifico Ill. *Busch* civibus academicis adscriptus, et a Decano maxime spectabili, Ill. *Wagner*, in Album medicorum inscriptus, hasce frequentavi scholas clinicas, tam medicas quam chirurgicas, nec non obstetritias, Ill. *Bartels*, Ill. *Rust* et Ill. *Dieffenbach*, Ill. *Busch*, Ill. *Wolff*, Ill. *Trüstedt* et Ill. *Barez*.

Quibus omnibus viris maxime venerandis maximeque de me meritis summas, quas possum, habeo semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medicis, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia in me conferantur honores. —

THESES.

1) *Quo minor, mollior et inaequalior in pneumonia acuta pulsus, eo gravior inflammatio.*

2) *Enteroraphia Lemberti ceteris praeferenda est.*

3) *Laparotomia in intussusceptione rejicienda est.*

4) *Haemorrhagia non morbus, sed symptoma.*

5) *Graviditatis nullum certum signum exstat.*

6) *Docimasia pulmonum fallax.*
